

**Prolusio medica de cachexia virginea ... / Eruditorum examini submittit
Joannes Manning.**

Contributors

Manning, John, approximately 1730-1806.

Lulofs, Johannes, 1711-1768.

Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Eliam Luzac, juniorem, 1756.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v9qyszg3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3¹

PROLUSIO MEDICA

DE

CACHEXIA VIRGINEA.

QUAM

ANNUENTE DEO,

EX AUCTORITATE MAGNIFICI RECTORIS

D. JOHANNIS LULOFS,

A. L. M. JUR. UTR. ET PHILOS. DOCTORIS, ASTRONOM.

MATHES. ET PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA LUGDU-

NO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARIÏ, FLU-

VIORUM HOLLANDIÆ AC WESTFRISIÆ

INSPECTORIS GENERALIS,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES MANNING, ANGLUS.

Ad diem 30. Januarii MDCCLVI. Horâ Decimâ, L. S.

PAUCA, NE NEGLECTUI HABITUS VIDEATUR SEXUS AMABILIS,
BREVITER ATTINGAM.

MEAD.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD ELIAM LUZAC, JUNIOREM.

MDCCLVI.

JUVENI INGENUO

D. GULIELMO MANNING,

FRATRI SUO PATRUELI CARISSIMO,

NON CONSANGUINITATIS

SED

AMICITIÆ ERGO,

TENTAMEN HOCCE MEDICUM

L. M. Q. D. D. D.

J. M A N N I N G.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

PROLUSIO MEDICA

D E

CACHEXIA VIRGINEA.

CUM Academiae hujus celeberrimae lex scribendi necessitatem imponat, de **CACHEXIA VIRGINEA**, affectu sexûs sequioris sanitati et pulcritudini inimicissimo, aliquantulum pro viribus differere juvat.

SEXUS femininus, ut diversimode ad generationis opus plus, quam masculinus, contribuit, plures hinc partes sive organa nactus, pluribus quoque morbis obnoxius est: illos taceo, quos Feminæ utero jam gerentes necessariâ naturæ lege pati debent; verum innumera quoque sunt mala, quibus Virgines ex eo, quod propagationi aptæ natæ, Virgines maneant, cruciantur.

AD hos enim pubertatis annos pervenientes, non raro in **Definitio.** malum Corporis habitum incidunt, quo color externus maxime a naturali degeneratur; suavis imprimis floridusque oris rubor in pallidum, pallido-flavescentem et virescentem mutatur; solida flaccescunt, tumoribus œdematosis hinc indurgent, fluidisque serosis, tenacibus repleta pallefcunt: præterea sanguinis fluxus menstruus debito tempore non erumpit, vel eruptus supprimitur, vel justo ordine, copiâ, colore non apparet.

A

Huic

HUIC affectui Medici Scriptores, ex more, manu non parca, nomina imposuerunt; ex quibus Græcorum Chlorosin; Latinorum morbum seu Cachexiam Virgineam, Febrim albam, Amatoriam, Ictærum album, memorasse sufficit, ut eorum ulteriori explicationi superfedeam.

QUAMVIS etiam hâc occasione a me quodam jure exigî possit, ut Virginem ex tenero ætate ad justum corporis incrementum perventam, atque illa præsertim ejus organa, quæ nunc primum ad officium obeundum apta fiunt, omnesque vicissitudines ex humorum abundantia æque ac solidorum laxitate et torpore oriundas, pluribus describerem; nec non ut exinde fluxûs menstrui originem, causas, effectus et morbos deducerem; limites tamen mihi propositi adeo longe excurrere vetant: potius ergo ad ipsius affectûs historiam enarrandam me confero, ut recensitis præcipuis signis et symptomatibus, clara inde ejus causæ, naturæ et sedis pateat ratio.

Signa et
sympto-
mata.

JAM ab initio, externa Corporis superficies pallidum *colorem* induit, in facie præsertim, palpebris et labiis se manifestantem, ubi sæpius subflavus, virescens et quasi plumbeus apparet. *Solida* laxa fiunt et flaccida, digiti prementis vestigium non adeo cito amittunt: loca quædam molliter, œdematose intumescunt, matutino tempore imprimis palpebræ et genæ, vespertino pedes eorumque malleoli inflantur. *Ipsi oculi* splendorem amittunt, et languidi subsident. *Calor naturalis* multum imminuitur, extremitates præcipue frigent. omnes fere *functiões vitales, animales, naturales* læduntur valde ac torpent: Maxima enim oritur membrorum *Lassitudo*, pedum gravitas, & ad motum inertia. *Exercitia* quæcunque mox respirandi difficultatem, anhelitusque, cordis et artèriarum capitis palpitationes, ipsius capitis dolores creant.

Cir-

Circa *præcordia* anxietates, ad *Hypochondria*, *lumbosque* tensiones, constrictiones et dolores obtusi sentiuntur. *Animus* ipse tristitiâ obsessus torpet, faciliusque deliquia patitur, aliquando etiam delirat. Magna adest in *somnum* propensio, licet interruptus sit, et corpus parum eo refocilletur. *Appetitus* prostratus est cum nausea, ructu, vel vomitu, aut ita depravatus, ut in absurda quævis, cretam, carbones similiaque, ferantur. *Os* salivâ densâ et lentâ siccum valde fitit. *Alvus* plerumque adstricta est, et assumpta fere cruda ejicit. *Urina* redditur cruda et decolor. *Sudores* erumpunt spontanei, aquosi plane. *Arteriarum Pulsus* debilior et inæqualis nunc languet, nunc acceleratur, et in variâ corporis parte sæpissime variat. *Sanguis* venâ emissus, viscidus est, et plurimâ serositate abundat. Hisce jam insuper accedunt *Menstrua* vel nondum erupta, vel rursus suppressa, vel inordinate parciusque, vel albo colore fluentia.

HÆC sunt præcipua, utpote quæ fere innumera, **CACHEXIÆ VIRGINEÆ** signa et symptomata: omnia quidem in singulis ægrotis nequaquam, verum alia in aliis, et pleraque in plurimis, juxta optimorum auctorum testimonia deprehenduntur, et plane sufficiunt ad hujus morbi naturam, sedem et causam proximam cognoscendas.

MIRUM tamen videtur, tantam hîc opinionum diversitatem inveniri: ne Veterum placita memorem, inter ipsos Recentiores parum convenit: **PARACELsus** causam hujus affectûs statuit alumen in utero resolutum. **HELMONTIus** Archæum uteri debilem; **SYLVIus** acidam viscidamque materiem uteri glandulas obstruentem incusant. A liquore spermatico, coacervato, et mora diuturniore corrupto massam sanguineam, lympham, spiritusque inquinante, derivare

Causa
proxima.

placuit ETMULLERO. Materies viscida, cruda, frigida, glandulas uteri obstruens, sanguinisque affluxum impediens, nec non reliquos humores vitians, SENNERTO, MUSITANO, RIVERIO multisque aliis aridet. Nonnullis laticem nerveum incusare placuit: inter alios SYDENHAMUM audiamus dicentem: "Huic ego causæ, (spirituum scilicet animalium *ανωξία*, seu inordinatæ agitationi sanguinem perturbanti) adjudico in juvenulis Chlorosin sive febrim albam (quam quidem speciem esse affectionis Hystericæ nullus dubito,) aliamque omnem malorum Lernam, in qua immerguntur missellæ, quotquot hoc morbo diu elanguerunt, quæ omnia a succis putrescentibus in sanguine congestis, atque exinde in organa varia depluentibus succrescunt." Omnia tamen hæc commenta, post stabilitum ob immortalis HARVEO inventum sanguinis circuitum, sponte disparuerunt. Tum demum receptis in Medicina Mechanices et Hydraulicæ legibus, ut plures alios sic et omnes virginum morbos a natâ in Corpore, ad incrementum pervento, Plethorâ, et per menstruum fluxum ob quamcunque causam evacuari nesciâ, deducere an nisi sunt multi in arte Medica præclari viri. Quantum vero ad hanc Plethoræ doctrinam attinet, eam ubi de Causis remotis erit sermo examinandam reservamus, nam (quamvis ex nata sanguinis abundantia menses originem trahere agnosceremus) nequaquam tamen, ubi de CHLOROSEOS causâ proxima est quæstio, vel ipse suppressus aut morbosus eorum fluxus accusari potest, quippe qui morbum nostrum, ut effectum, directe non constituat producatque.

VERUM quid multis opus est? Si debita habeatur signorum supra recensitorum ratio; nulla, credo, de cognoscenda causa supererit difficultas: quis enim, ubi perpenderit omnia, quæ in morbo, a malo corporis habitu, CACHEXIA dicto,

ob-

observantur symptomata, eandem ibi malorum seriem non offendit, ita ut unum et eundem esse morbum, qui CHLOROSIS, clare pateat. Quum tamen huic affectui solæ Virgines sint obnoxiaë, ut singularis ergo quædam differentia detur, necesse est: Revera etiam illa adest; uti enim supra menstruorum male sese habentium facta est mentio, sic hoc symptoma proprie CACHEXIAM VIRGINEAM constituit, sine illo simplicem Cachexiam dicendam: ita ut nullus dubitandi sit locus, quin ille morbus, vera sit CACHEXIÆ species, virginibus quidem solis propria, sed generalem eandem Causam proximam, quam CACHEXIA, agnoscens; licet hæc Causa ab aliâ singulari quâdam magis remotâ pendeat, ab utero scilicet, ejusque fluxu rite non procedente: ut mox visuri sumus.

PRIMO igitur CACHEXIÆ causam proximam inquiremus. Innumeræ hîc iterum memorandæ forent Auctorum sententiæ; quæ tamen, ne nimis exspatier, silentio præterire malo; solam illam prolaturus, quæ, juxta optimam BOERHAVII et HOFFMANNI doctrinam adornata, maxime mihi ut vera causa arrisit: scilicet, *partium solidarum naturalis tonus, vigor seu robur adeo relaxatum et debile, humorumque phlegmaticorum ac viscidorum talis abundantia, ut in se invicem rite agere nequeant.*

HÆC nobis videtur vera causa CACHEXIAM proxime constituens, valde sane universalis, utrumque sexum et quemlibet fere ætatem invadens, atque ab innumeris aliis causis remotioribus oriunda: verum tum demum CHLOROSIN producens, quum magis particularis sequiorem sexum virginium occupans, *uterum ejusque fluxum morbosum pro causa efficiente agnoscat.*

Causæ re-
motæ.

JAM ergo ordo exigit, ut hanc reliquasque consideremus causas remotas, quibus pateat mox indicatam revera esse proximam, supra recensitis symptomatibus creandis aptam. Videamus primo causas, quæ ad hunc morbum concipiendum prædispositionem præbent.

I^o. DE *Ætate* autem et *Sexu*, quos ipse morbus supponit juniorem et femininum, nullum est dubium, quin prædisponant; non solum quatenus hoc tempore corpus ad debitum incrementum perveniens, eandem tamen sanguinis copiam, quâ ad accrescendum indigebat, conficere pergit; sed et quatenus solidorum habitus, fluidis hac ætate multum adhuc abundans, minus compactus et laxior, Plethoræ concipiendæ minus resistit, et debito robore nondum præditus illam subigere nequit: quo quidem origini adhuc propior est homo, solidis eo sensibilibus gaudet, quæ a levissimis causis (a sanguine copiâ irritante) multum quidem afficiuntur; verum quibus non in debitos et regulares sed inordinatos valde motus et contractiones facillime irritantur; quo dein fit, ut fluida et motu et qualitate multum peccent, ipsaque tandem solida languescant, tono et robore destituantur, et insensiliora reddita, in fluida rite non reagant, sed atonica, illis adeo distendantur et molliantur, ut multum non absit, quin morbus noster producat.

QUIBUS jam omnibus *Sexus sequior* tanto magis ansam præbet, quanto et ipso corporis habitu laxior, sensilior, mobiliorque, ac magis quoque ex suo domestico vitæ genere, suoque Generationis officio obeundo plethoræ, et periodici sanguinis fluxûs perturbationibus obnoxia existit.

QUANTUM vero ad ipsam *Plethoram*, quæ a multis, ut supra jam innuimus, pro Causa fluxûs menstrui habetur, per-
pul-

pulcra sane hæc est doctrina, multis tamen difficultatibus non destituta: Corpus enim masculinum justo accretum, æque ac femininum eandem sanguinis copiam conficere pergit, menstruâ tamen evacuatione se ipsum non liberans, tanta inde non patitur mala: an quia plus quam femina perspirat vir; uti voluit *clar. FREIND*? Quis dixerit, cur hæc Plethora constanti fatis lege quovis mensis intervallo evacuetur: an a retenta tricesima, perspirationis parte ejusmodi nascitur *Plethora*, quæ *viribus ad vasa uterina perrumpenda instructa sit*? uti demonstrare connatus est idem *Eleg: Auctor*. Quare, ne plura moveam, ubi intra duas fluxûs menstrui periodos, V. S. multo etiam major sanguinis quantitas, quam ordinario per menses effluit, emittatur, sicque Plethora plane tollatur, fluxus nihilominus debito tempore tantum abest ut vel non, vel parcius, ut sæpe copiosius appareat? Sed ad propositum redeamus.

2°. *TEMPERAMENTUM Phlegmaticum et sanguineum* horumque intermedia, atque *habitus Corporis laxus et spongiosus* multum huc faciunt: virgo enim ex statu suo et ætate in hæc jam proclivior, magis etiam periclitatur, si temperamentum accedat: id quod ex mox dictis fatis constat.

3°. *ORGANICA constructio* huc pertinet, quæ, *Ex. gr. coalitis genitalibus*, mensium obstructioni locum dare potest. Multi quoque *alii morbi prægressi* virginem præ omni alio in hunc affectum præcipitare queunt, quorum tamen enumeratio hujus loci non est.

4°. *TANDEM dispositione hereditaria* vel et *Idiosyncrasiâ* solidis tanta naturaliter inesse potest debilitas aut sensilitas, ut ad hunc morbum vel nata videatur: sic tenera divitum proles magis quam ulla alia ex sua nascendi conditione hoc morbo laborare certum est.

SEQUUNTUR jam illæ causæ remotæ, quæ procatarcticæ seu occasionales dicuntur, quoniam earum occasione morbus in corpore prædisposito latens, in actum deducitur.

1°. AËR hic considerandus venit, Corpus nostrum per totam ejus externam internamque Pulmonum superficiem, ut perpetuum balneum ambiens, adeo necessarium, ut minimo temporis punctulo, illo carere non possit: hinc merito felices, qui coelo placido fruuntur: mirum enim quantum ad Corporis animique vigorem valeat; "Non quod non omni tempestatum genere (ut ait Celsus) homines per omnia genera morborum et ægrotent et moriantur"; sed quotidianâ experientiâ docemur, aërem purum, siccum, justo caloris gradu præditum ad sanitatem integram tuendam quam maxime requiri.

NOSTRO autem morbo creando maxime ansam dat *aër humidus*, imprimis si nimium vel *caloris* vel *frigoris* gradum conjunctum habet: *Aër* enim *humido* saturatus externe et interne corpori applicatus, ejus evaporationes aqueas recipere non potest, sed ipse in humores se diffundit: hi ergo plus humidi accipiunt quam perdunt: hinc solida laxantur, molliuntur, elaterem tonumque amittunt. Si jam humido aëri *calor* accedit, maxime debilitantur solida; si autem *frigus*, majus etiam morbi cachectici suscipiendi oritur periculum: quo enim plus aquæ aër frigidus continet, eo difficilius calefcit; balnei aquosi instar, quod frigidum a Calore corporis nativo non facile incalefcit, sed illud constringit, et tantum abest, ut ejus evaporationes recipere possit, ut potius corpori magis calenti se insinuat, et retentam humorum cõpiam adaugeat: insigniter igitur solida tono, fluida motu destituuntur: hinc omnia mala, quæ ex deficiente solidorum in fluida actione et reactione, ex impedita perspiratione, similibusque oriuntur. Quæ præterea multum augentur ex eo, quod *aër humidus* simul *levissimus* sit, de-

demonstrante hoc mercurio, qui in Barometro eo magis descendit, quo humidior est aër: Corpus ergo externe minus premitur, adeoque solida minus sustentata interne in fluida irruentia ritè non reagunt, sed amisso robore et tono, minorem vim contractilem edunt, humoresque minus compressi rarefcunt et densitatem amittunt. Merito igitur HOFFMANNUS in *Syst. Rat. monet*: "Observamus sub atmosphæra nebulosa et turbida
"diutius persistente et ventis simul ex occidente flantibus,
"itemque tempore vernali et autumnali, aut si quis in locis
"valde humidis, paludosis humilioribusque conclavibus com-
"moretur, vel dormiat, frequentem esse morbi cachectici
"proventum": id quod satis superque testatur hujus affectûs
in his regionibus frequentia.

NE prolixior evadam, alias aëris variis vaporibus impuri qualitates nocivas jam prætereo: neque memoro innumeras ejus subitasque vicissitudines: verius tamen de sua quam hisce regionibus prædicasse videtur CELSUS: "Ex tempestatibus
"vero optimæ æquales sunt sive frigidæ sive calidæ, pessimæ
"quæ maxime variant."

2°. SEQUUNTUR *Cibus et Potus*, qui, ut frequens morborum causa, sic et Cachecticos quosvis in corpore prædisposito producere possunt. Assumta enim, ut detrimentum, quod corpus per ipsas sanitatis actiones assiduo patitur, restituant, iis qualitatibus gaudeant necesse est, quæ ab ipsis corporis, cui ingeruntur, viribus legitime superari, in liquidum nutritivum immutari atque assimilari queant. *Sanis* quidem, ut dicunt, *omnia Sana*; sunt tamen varii sanitatis gradus, variae ætates, varia temperamenta vitæque genera, quorum aliis hic cibus potusque congruus, qui aliis valde nocivus evadit. Merito hinc et vere monet *clar. VAN SWIETEN* ad §.

1168. "Fessus a labore diurno domum redux rusticus pane
 "atro, carnibus, aut lardo, fumo et sale induratis, fameli-
 "cum replet ventriculum, moderatoque somno languida mem-
 "bra postquam refecit, surgit robustus et alacer ad soli-
 "tos labores. Illi vero, qui divitiis affluentes largis
 "quotidie fruuntur epulis, nec se ad labores credunt natos
 "esse, perpetuis querelis Medicorum aures fatigant, dum vo-
 "lunt vivere sani, et nihil agere". Hinc ubi virginis delicato
 "teneroque, eodem, quæ robusto opificis corpori, ingeruntur,
 "quomodo hæc digerere, atque in utilem succum chylosum con-
 "vertere poterit? Ventriculus et intestina indigestili materiâ
 "gravantur, crudaque nutritioni inepta reliquis humoribus ad-
 "mixta, eorum indolem naturalem depravant: " Sicque valet,
 "ut ait HOFFMANNUS *l. c.* commune illud proverbium,
 "vitium primæ coctionis, quæ fit in primis viis, non facile
 "corrigitur in secunda, quæ in visceribus sanguificationi et
 "deurationi inservientibus peragitur; multo minus in tertia,
 "quæ actu nutritionis absolvitur."

MAXIME jam ut nociva huc spectant omnia *viscida tena-*
cia, farinosa non fermentata, crassa, pinguis, acris, ac similia,
 quæ corpori debiliori, quieti assueto ingesta, tum digestionem,
 chyli absorptionem, foecum excretionem lædendo; tum bilem
 reliquosque succos gastricos obtundendo; tum spontaneam cor-
 ruptionem acidumve producendo, mille modis totam
 corporis oeconomiam turbant vitiantque. Quæ mala tan-
 to graviora evadunt, si ingurgitatis *copiosis liquidis aquo-*
sis præcipue calidis, non solum omnia corporis solida, im-
 primis autem primæ viæ laxantur et debilitantur, sed et gluti-
 nosa tenacia ibi hærentia dissolvantur, et per vasa lactea cor-
 pus intrant; ubi, excretis iterum aquosis, novum constituunt
 gluten, quod omnium viscerum functiones pervertit, humo-
 rum

rum motum retardat, omnes sensus internos et externos languidos reddit, sicque morbi cujuscunque cachectici fundamenta jacet. Unde HIPPOCRATES *Aph. 16. Sect. v.* "calidum, eo frequenter utentibus, has affert noxas: carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem etc." Quæ omnia, si adeo nocent, quanto magis illa, quæ vel depravato appetitu, vel vana futuræ pulcritudinis spe assumpta fortissimis etiam visceribus digeri nequeunt; id quod virginibus non raro ex usu est.

3°. *MULTA Corporis quies, vitæ otiosa et sedentaria*, recte quoque causis procatarctis hujus morbi adnumerantur: Quanta enim bona præstant ad necessarium adeo humorum motum, ad debitam viscerum actionem ipsumque animi vigorem, moderata corporis exercitia; tanta e contrario iis neglectis oriuntur mala: deficiente enim motu musculari, sanguis in venis accumulatur, lentiusque ad Cor refluit, lentior ergo cordis contractio, ipseque circuitus lentus; cui autem humorum abundantia, cruditas, lentor et visciditas, variæ stagnationes, obstructions, impeditæ secretiones et excretiones, tanquam pedissequæ adjunguntur. Quam igitur ob rem etiam optima alimenta, si debita corporis exercitia deficient, nocent: "si motus languet, inquit clar. VAN SWIETEN ad §. 1172, tunc plura manent in Corpore, quæ secedere debuissent et expelli; nec debita vi moleculæ liquidi nutrientis applicantur ad loca, quæ debebant restaurari: unde Corpus repletur quidem, sed non bene nutritur, nec in debito conservatur robore."

4°. *QUANTUM* jam ad *Animi pathemata* attinet, de quorum sane efficacia in corpus, quale imprimis virgineum mobile valde, melius constat, quam de modo, quo in illud agant; præter omnes fere functiones, quas turbare possunt, miros

admodum in ventriculum et intestina edunt effectus: Verum præterea maxime respectu CHLOROSEOS nocent terror, moeror, ira, quatenus in uterum ejusque fluxum mire agere solent. Singulari quoque ratione huc respicere videtur *insanus amor*, et in rem veneream desiderium: virgo enim viro maturatione, insolitos, quibus intus ardet, æstus persentiens, continuo de medela cogitat, totusque animus huic affectui adeo indulget, ut reliquarum functionum obliviosus, omne corpus torpidum negligat.

5°. OMNINO hic recenseri meretur illud *duri vestimenti seu lorice* genus, quo, ut æstimatâ gracilitate placeat, molle corpusculum, et præcipue abdomen, adeo constringere solet virgo, ut tristes non raro effectus sed sero persentiat. Fieri enim non potest, quin non solum plerorumque abdominis viscerum, diaphragmatis, atque ipsorum pulmonum functiones valde lædantur; sed et ipse uterus, ab intestinis sursum et deorsum pressis, multa incommoda patiatur, et veluti suffocetur.

6°. HISCE omnibus illa denique accensenda est causa, quæ *Retentione excernendorum* tantum ad CACHEXIAM producendam confert, ut, quæ ex illa oritur, singulari nomine VIRGINEA dicta fuerit: *Menstruum* volo fluxum retentum, suppressum, imminutum, etc: Ex quo quidem fonte tot tantaque scaturiunt Symptomata, ut, toto corporis habitu depravato, dira tandem CHLOROSIS nascatur: Instar omnium solum audiamus HOFFMANNUM *l. f. c.* "Enimvero, inquit, et certa ac
"frequens observatio, et probatissimorum Medicorum aucto-
"ritas confirmat, quod nimis imminutæ alias salutaris et cri-
"ticæ sanguinis superflui per uterum et anum expurgatio-
"nes, non modo Cachexiæ, et in feminis Chloroseos, verum
"etiam aliarum gravissimarum et pene incurabilium passionum
"præ-

"præcipuæ causæ existant. Nam quodocunque sanguis con-
 "suetum exitum per ordinarias has vias, vel ob spasmos, vel
 "ob nimium crassorum humorum infarctum non habet, sta-
 "gnat, vitiatur, corrumpitur, et ad vasa regurgitat ma-
 "jora et viscera; quorum tonum, ac functionem vitiando
 "varia et gravia pathemata in remotis etiam partibus sæpius
 "excitat. Morbus ille virgineus, qui indigitatur, et circa
 "pubertatis tempus virgines viro jam maturas frequenter in-
 "festat, unice ab impedita hac expurgatione sua mutuatur
 "incunabula".

PLURIBUS autem in omnibus fluxûs menstrui retenti cau-
 sis inquirendis non inhæream; breviter animadvertisse suffi-
 ciat, præter illas mox ab HOFFMANNO allegatas, solidorum
 nempe spasmos vel humorum visciditatem, aliam insuper in
 virginibus, nunquam fluxu menstruo gavisis, valde natura-
 lem accedere causam, oriundam ex eo, quod, corpore huic
 evacuationi nondum assueto, totâque matricis substantiâ ad-
 huc compactâ admodum, vasorum vires contractiles nondum
 sufficiant ad sanguinem versus uterum determinandum et pro-
 pellendum, ejusque vasa extricanda et aperienda.

NATA ergo in corpore virgineo sanguinis evacuandi ne-
 cessitate, dum quacunque de causa per uteri vasa id non suc-
 cedat; hæc sanguinis copia corpori molesta multis modis toti
 nocere potest œconomiae: ne omnia mala hic enumerem, po-
 tissimum videamus, qua ratione ipsa denique CACHEXIA
 VIRGINEA oriatur. Hic enim sanguis sensim sensimque accu-
 mulatus, si neque ulla excretionem naturali, neque aliis evacuatio-
 nibus sanguineis excutitur, copiâ suâ majora vasa distendit, quæ
 distenta, vel minora comprimunt, vel humoribus crassioribus
 in minora vasa propulsis, ea atonica reddunt; ita ut non solum

humorum circuitum, secretiones et excretiones turbentur et sufflaminentur; verum et omnes actiones a tenuioribus fluidis pendentes, languescant. Præterea hæc sanguinis abundantia, licet non adeo magna existat, ut multum dilatet, aliâ quoque ratione nocere potest; scilicet irritando, vasa a naturali tono et contractionum rhythmum in motus subitos inordinatosque concitat spasmos, variasque humorum congestiones et obstructions producit; unde non solum humorum crasis valde vitatur, et ipsa iterum solida male afficiuntur; sed etiam vasa tandem debilitata tonum ac robur amittunt, torpent, et irritari facile nequeunt; torpet ergo et humorum motus, a quo cum maxime pendeat eorum bona indoles, stagnantes autem inertes fiunt et visceri; sicque *destructa solidorum et fluidorum in se invicem actione*, ipsa præsens existit **CACHEXIÆ VIRGINÆ** causa proxima: Quæ ergo liquido apparet vera esse, et ad supra (pag. 6.) recensita symptomata producenda apta: id quod ordo jam exigit, ut breviter demonstramus.

Causæ
proximæ
et sympto-
matum ra-
tio.

I°. **COLOR pallidus, habitus corporis tumidus et flaccidus, calorque imminutus** ex hoc fonte profluere manifestum est. Albidus enim Chylus in rubrum sanguinem convertendus motu et actione vasorum; his autem deficientibus, ruboris gradum attingere nequit, sed colorem quemvis heterogeneum induit: ipse quoque sanguis stagnando et rarefundo dissolvitur, et in serum abiens, rubedinem amittit. Qui itaque pallidus humorum color maxime se manifestat in illis partibus corporis externis, quibus cutis tenuissima est, labiis, internis palpebris similibusque. Porro solida copiosis aquis perfusa molliter intument ac flaccescunt; imprimis quorum substantia laxior et spongiosa humorum recessui et stagnationi favet; veluti tota membrana cellulosa, in quam arteriæ exhalantes plus liquidi aquosi deponunt, quam venæ, ob languescentem humorum

in-

in venis accumulatorum reditum ad cor, resorbere possunt: iis præsertim in locis, ubi tardior circuitûs motus; hinc post situm corporis horizontalem tempore somni circa bulbos oculorum, post situm autem erectum tempore vigiliarum circa pedum malleolos facillime tumores œdematosi nascuntur. Quantum vero calor a solidorum liquidorumque actione et attritu dependet, tantum ergo imminutis his, ipse imminuitur, in extremitatibus præsertim longe a corde remotis.

2°. Hæc quoque de causa *Functiones Vitales* multum lædantur necesse est: Cordis enim palpitationes, respirandi difficultas, anhelitus, anxietates, deliquia, dolores, tensiones, constrictiones, spasmi, congestiones, obstructiones, pulsus arteriarum nunc debilis et inæqualis, nunc acceleratus atque in varia parte varius facillime originem mutuuntur æque ab actione tonoque solidorum, et liquidorum motu deficientibus, atque ab accumulatis in venis humoribus, ad quævis irritamenta quaquaversum impetuose ruentibus: Hi enim corporis, v. gr. exercitiis, compressis musculorum contractione venis, subito versus cor propelluntur, illudque ac pulmones obruunt, et magno cum impetu ad hæc illave corporis loca delati, distendendo, irritando, obstruendo, etc. fecunda fiunt recensitorum malorum germina. Quæ quidem sæpius in hoc morbo redduntur multo acerbiora, si, exortis in primis viis spasmis ructus et flatus intercluduntur, atque hac ratione ab intestinis aëre distentis, quæ per abdomen decurrunt vasa, comprimuntur, et diaphragma sursum actum thoracis cavum minuit; sanguis ergo cor pulmonesque opprimit, et magna copia versus caput propulsus, immanem quantum malorum numerum creare potest.

3°. *FUNCTIONES* autem *Animales*, læsis ex viscida colluvie,

vie, humorum qualitatibus, et torpentibus solidorum viribus, fat cito lædi, non est quod jure miremur: secretiones enim qualescunque et excretiones subtilissimæ quomodo rite procedere, quomodo fibrosus solidorum contextus legitima sensibilitate gaudere, quo tandem modo actiones inde pendentes vigere queunt? Languet nobilissimum ac tenerrimum illud capitis viscus, ut et totum, quod inde originem trahit, systema nervosum: torpent imminutâ sensibilitate solida, "hinc, *juxta* §. 196. *cel. GAUBII. Introd. ad Patholog.* ad irritamenta nisus in contractionem tam parvos, ut non sufficiant iis producendis motibus, quos œconomiae salus postulat." motus ergo animales languent, iners corpus languida post se trahit membra, et quæ longe a circuitûs fonte distita humorum accumulatorum pondere gravantur; pedum inde gravitas: sed et sensus externi atque interni hebescent: magna simul adest in somnum propensio, quæ sive ex corpore, sive ex mente, saltem non ex naturali eorum lassitudine, sed morbosâ potius inertia et indolentiâ profluere, atque adeo parum refocillare, certum est. Etenim, corpore male affecto, male quoque affici ipsum animum, quotidiana docet experientia; sicque in hoc morbo sui corporis quasi, ut ita dicam, non satagit; varia secum volutat phantasmata, torpet, moeret, etc.

4°. *FUNCTIONES* tandem *Naturales* dictæ, quibus ore assumpta in blandum chylum et succum nutritivum elaboranda, et materia feculenta eliminanda sunt, morbosos, ex hac fluidorum visciditate ac solidorum torpore, depravatis virium coëtricium conditionibus, persentiunt effectus: Turbatis enim omnium viscerum secretionibus et excretionibus, hinc etiam saliva, succus pancreaticus, Bilis utraque, ac ceteri liquores gastrici, a quibus præter ipsum appetitum, assumptorum dilu-

tio,

tio, dissolutio, subactio, miscela, viscidorum attenuatio, acidorum correctio, verbo, in materiem coctam mutatio, maxime dependent; vel debita quantitate non exernuntur vel debita virtute non pollent, ut hæc dicta præstare possint: tanto præterea minus, quanto materia lenta glutinosa in primis viis jam nidulans has humorum affluxorum virtutes ulterius obtundit et iners reddit. Altera quoque accedit depravatæ coctionis ratio, ex ipsa fibrarum ventriculi intestinorumque debilitate et laxitate, nec non ex languente hinc illorum motu peristaltico oriunda: Ipsa denique languescens respiratio, ac languida inde muscutorum abdominalium et diaphragmatis actio, alternis contractionibus hæc viscera comprimens, nihil non impediunt, quo minus alimentorum digestio et Chyli elaboratio justo cum vigore absolvantur. Hac itaque ratione assumpta primis viis immorantia, immutari et subigi nescia, propriam suam sequuntur indolem, ac spontanea degeneratione, vel in fermentationem acidumque, vel in glutinosum vel putredinem vergunt. Ex quibus omnibus intellectu facillimum est, quomodo in primis viis non solum appetitus imminuatur, aboleatur vel depravetur, et nausea, vomitus, ructus, flatus, spasmi; os siccum, alvus adstricta, similiaque nascantur symptomata: Verum et perspicuum est, qua ratione humores hi crudi per vasa lactea intra corpus facile non recipi, et recepti a reliquis organis debilibus neque in coctos bonæque notæ succos elaborari, neque a materie excrementitia rite defecari possint: sed crudi partim per urinæ et transpirationis emunctoria eliminantur, partim reliquorum humorum pravam indolem pejorem reddant.

5°. DENIQUE ad *Menstruorum* symptomata quod attinet, leviter monuisse sufficiat, licet in ipso CHLOROSEOS principio præcipua mali causa ex impedita hac sanguinis evacua-

tione progerminet, non raro tamen evenire, quum altas jam radices in corpore egit morbus, ut fluxus tum demum prorumpat, verum nequaquam periodicus, neque debitis qualitatibus præditus, sed inordinate et albido sæpius colore emanans, fluoris albi nomine insignitur. Vasa enim Uterina primo initio nimis fortia et contracta, ut affluentem sanguinem transmittere queant; dein tamen, debilitato totius corporis tono et robore, debilitantur quoque, atque ultimo pravum adeo motûs rhythmum patiuntur, ut pro rubro sanguine, viscidum hunc albidumque emittant liquorem: de quo fluxu plura addere hujus loci non est.

Diagnos. HAUD difficilis jam erit morbi nostri **DIAGNOSIS**: Consideratis enim supra enumeratis qualitatibus externis, læsis functionibus, atque Excretis; causis porro, quæ prædisponunt æque, ac quæ occasionem præbent; nihil, credo, obstabit, quo minus **CACHEXIA VIRGINEA** ab omni alio morbo distincta, præsens cognoscatur: imo habita præsertim sexûs ætatisque, et menstruorum debito tempore non profluentium; nec non coloris habitusque corporis ratione; nullum amplius de hoc affectu supererit dubium.

Prognosis. NEQUE etiam **PROGNOSI** ut diu immoremur, necesse est: pro variis enim, quæ ansam dederunt, causis; pro varia effectuum vehementia, pro vario denique durationis gradu, aut facilius aut difficilius **CACHEXIÆ VIRGINEÆ** est curatio; ac vel in sanitatem vel in alios morbos, ipsamque mortem abit.

SI ergo, ex perverso rerum non naturalium dictarum usu, ortâ **CHLOROSI**, menstruorum retentio nimis diu non perstiterit, nec multa magnaue urgeant symptomata; correctis,
in

in tempore per contrariam vivendi rationem, commissis erroribus, allatâque prudenter, quæ morbi causam tollat, Medicinâ, ita ut uterina sanguinis evacuatio justis prorumpere incipiat periodis magna affulget futuræ sanitatis spes; tanto quidem major, nulloque recidivæ metu superstite, si statûs virginæ cum desiderato conjugio commutandi læta sese offerat occasio.

QUOD SI post hæc omnia diutius neglecta, interim multorum viscerum functiones magis magisque depraventur, aliaque simul mali ominis accesserint symptomata; medicamentis jam ob ipsum Naturæ virium languorem parum valentibus; fero hæc medicina paratur, malumque in pejora alia, aliam curationem postulantia, ruit. Ex læsis itaque functionibus, præsertim naturalibus, vel Leucophlegmatia, Anasarca, Hydrops, vel Tympanitis, vel Febris Hæctica, Atrophia imminet: Ex læsis autem animalibus, Paralysis, variaque sensuum externorum vitia ortum ducunt: Ex persistente tandem fluore albo, sterilitas, prolesve faltem debilis metuendæ sunt.

VERUM enimvero affectis admodum nobilioribus functionum vitalium visceribus, multa alia, aut Apoplexia, aut Cordis palpitatio, aut Peripneumonia, subito mortifera pertimescenda.

NIHIL jam, nisi ipsa CACHEXIÆ VIRGINEÆ superest Curatio, CURATIO: hanc succincte indicatis tantummodo generalioribus pertractare conabimur; ne enim singularia quævis attingamus ingens vetat symptomatum numerus, quæ prout variant, variam non raro exigunt curam.

QUANTUM ergo ad Indicationes attinet, secundum quas
C 2 pro-

procedendum, ut amissam recuperet sanitatem ægra, tres hic, habita causæ proximæ ratione, occurrunt Primariæ: 1^a. quidem Indicatio est, viscidi et inertis vel expulsio vel correctio: 2^a. dein languentium virium, toni ac motûs solidorum corroboratio; et naturalium vibrationum ac contractionum restitutio: 3^a. denique morbosî fluxûs uterini in justam periodicam permutatio: quibus omnibus ubi legitimâ medendi methodo satisfactum fuerit, credo fore, ut satis tuto, cito ac facile ipse curetur Morbus.

TRES sunt viæ naturales, per quas Expulsio e corpore institui potest; Alvo per Purgantia, Renibus per Diuretica, Cute per Diaphoretica ac Sudorifera: huc ergo materiem morbosam dilutam atque attenuatam ducere et expellere indicatur; verum post rite purgatas a lentâ saburrâ primas vias, multum abest, ut per diuretica, sudorifera, etc. quatenus solis hisce viribus maxime pollere supponuntur, tentanda atque urgenda sit evacuatio: persistente enim organorum debilitate, læsisque eorum secretionibus et excretionibus, pravos semper conficere et emittere pergunt humores, etsi optima quævis substituuntur alimenta; nonne quoque justus est metus, ne evacuatis hisce viscidis humoribus, evacuetur et id, quod per auctas vasorum in liquida vires, debitosque motus ulterius coqui, et in bonos succos nutritivos redigi posset; secundum prudentissimum illud GALENI monitum in *Libr. Hippoc. de Alim.* "pituita autem frigida et humida est, et veluti quoddam semicoctum alimentum; quare non est evacuanda, sed debet in corpore manere et alterari". Etenim vero labefactatas solidorum vires restaurando, ne ipsa quidem humorum viscidorum negligitur expulsio, sed, quantum hoc requiratur, eâdem absolvitur operâ, iisdem perficitur remediis, quibus et humores corriguntur, et amissum robur,

tonusque, nec non ipse deficiens menstruorum fluxus restituuntur.

HISCE ita præmonitis, ut Curatio rite prudenterque suscipiatur ac perficiatur, ante omnia 1°. Primarum viarum habenda est ratio, ut purgentur ac dein roorentur: 2°. Bona corpori ingerenda sunt alimenta: 3°. Simul vires applicantes motu et exercitiis augendæ: 4°. Denique Medicamenta dicta Cardiaca, Stimulantia, Corroborantia, etc: reliquum absolvunt opus: de quibus singulis paulo prolixius agendum. Quantum autem sanationi faveat legitimus reliquarum rerum nonnaturalium usus, oppido manifestum est; neque quomodo hic ordinandus sit, ex supra dictis, ubi de causis remotis fuit sermo, intelligi erit difficile.

1°. HAUD unica sane est ratio, quæ peculiarem primarum viarum indicat curam: indigestilis enim lentaque materies ac fordes ibi hærentes, ut multa supra memoratorum symptomatum producant, sic et quo minus ex optimis alimentis ac medicamentis salutare corpus persentiat effectus, plane impediunt. Prostrato ergo appetitu et nausæâ laboranti ægræ leni Emetico ventriculum a viscida pituita liberare conducit: nisi aliud quoddam symptoma periculum inde minetur. Dein Laxantibus, leniter Purgantibus intestinorum fordes expellantur: post Eccoprotica repetitis vicibus exhibita, optime hic profunt fælia Polychrestum, Tartarum similiaque, quorum blando stimulo lenti humores attenuantur, et copiosius versus intestina derivantur.

PURGATIS primis viis, debiles earum vires, ut assumpta concoqui valeant, restaurandæ ac stimulante calore, acrimonia et aromate excitandæ sunt, id quod tutissime perficiunt, quæ

debita præparatione, forma et dosi desumuntur ex Herbis Abfinthio, Betonica, Mentha, Veronica; ex Radicibus Gentianæ, Galangæ, Imperatoriæ, Calami Aromatici, Zingiberis, Zedoariæ; ex Corticibus Cascarillæ, Cinamomi, Winterano; ex Gummofis resinofis Myrrha, Galbano, Sagapeno: vel et ex Compositis Tinctura Sacra, Elixire Propr. Parac. etc: quæ singula reliquo corpori admodum sunt proficua.

2°. AD alimenta autem feligenda consuluisse sufficiat, quæ supra in caufarum tractatione ut nociva damnavimus; per singula, quæ conveniunt, ire, nimis longum foret: Assumenda non solum, quæ sanis corporis humoribus jam magis similia, facile se dissolvi et subigi patiantur debilibus viscerum viribus, sed etiam quæ materiæ peccanti sint contraria: Optima fere sunt Jura carniū, ipsæ juniorum animalium carnes, panis bis coctus similiaque; quorum tamen major copia simul non ingerenda, quam rite concoqui possit; idoneis potius condimentis languida stimuletur digestio. Potus autem, loco infusorum aquosorum, Cerevisia sit aut Vinum meracius. Verūm corpus bonis replevisse alimentis non multum juvabit, deficiente motu.

3°. ERGO ut vires Coctrices, ut pristinus solidorum vigor et robur, ut omnium membrorum agilitas redeant, totum legitimis exercitiis commovendum esse corpus, ante pag. 15. probavimus: non possum tamen, quin hic inseram, quæ expressé adeo monet *clar. VAN SWIETEN ad §. 1173*: "dum circa
"tempus pubertatis cachecticæ virgines pallido sic dicto morbo laborant, intra paucas septimanas curam promittere semper ausus fui, et stabilem sanitatem, modo vellent renatas
"ex Limaturæ ferri usu vires salubri corporis motu conservare,
"et a potibus aquosis tepidis abstinere, qui robur solidarum
"partium corporis enervant."

A T-

ATTAMEN adsuefactum quieti corpus incauto exercitio ne citius moveatur, humores lenti stagnantes vetant, qui uno impetu ad cor, pulmones, caput, vel ad alias quasvis partes delati ac congesti exitiosa non raro mala, dirasve obstructions, dolores, etc.: causari valent. A lenioribus itaque corporis compressionibus externis, et frictionibus incipiendum, quæ pannis laneis asperioribus Succini vel Mastiches vapore imbutis, vel Scopulis cutaneis in hunc usum effectis ab ipsâ dein institutæ ægrâ, ipsi vasorum humorumque actioni, et leviori simul musculorum motui favent: audiamus de his CELSUM: " Si infirmior est, gestari, ungi, perfricari, " si potest, maxime per se ipsum, sæpius eodem die, et ante " cibum, et post eum, sic ut interdum oleo quædam adjiciantur calefacientia. " Post hæc corpore magis firmato successive Vectiones in Rheda, Equitatio, Ambulatio, Saltus ac similia exercitia egregie conducunt, præprimis si per amœni gaudia ruris etiam mens curarum vacua oblectetur.

4°. IPSA denique idoneorum medicamentorum usus exponendus sequitur, quorum tamen ingentem pro dignitate tractare quantitatem, haud permittit instituti ratio: ex consideratis solidorum torpore, humorumque viscositate ac cruditate optimorum remediorum facillimus erit selectus; prudenti interim adhibita cautela, ne efficaciora debilioribus præmittantur: Prius igitur exhibitis lenioribus stimulantibus, attenuandi ac resolvendi vi pollentibus, Aromaticis, Nervinis, Spirituosis; quibus languidæ solidorum vires suscitentur humorumque circuitus, atque eorum legitima evacuatio et correctio promoveantur: hisce dein tuto subjungi et intermisceri poterunt corroborantia fortiora et adstringentia, quæ reliquam absolvunt Curam, nec non vegetam totius corporis œconomix sanitatem reddunt.

AD

AD priora pertinent Gummi resinosa , Saponacea , Salia imprimis neutra , Biliofa , Aromata , Vina meraciora , Aquæ minerales , quibus satis evacuatis aut correctis liquidis , firmisque solidis , fortiora ad hunc morbum persanandum magis specifica exhibeantur ; instar omnium hic recensuisse sufficiat jure meritoque celebratissimum Chalybis nec non Corticis Peruviani usum , quorum sane egregias in CHLOROSIN sanandam virtutes satis superque optimi uno ore testantur Medicinæ Auctores.

STABILIS vero sanitas nullo promittenda modo , si corporis exercitia ac reliquum victûs regimen iterum negligantur : maxima imprimis fluxus menstrui habenda est cura ; qui nisi peculiaribus remediis , contracto saltem Matrimonii foedere et celebrato generationis opere optime provocatur : " Coïtus , inquit HIP P. sanguinem calefacit , ac viam faciliorem mensibus reddit. " Quantum enim ad ipsam non solum curationem faciat , sed ad recidivam quoque præcavendam , non est quod moneam.

N U N C demum huic Dissertatiunculæ finem imponere liceat ; Legibus Academicis satisfaciendum fuit , quodsi haud indigne satisfecerim , Gaudeo.

F I N I S .